

2093

LITURGICI.

2094

que adgeniculantibus Episcopo et Canonico. Manus Pictoris in uniuersum parum abludit ab illa, quae magna illa *Wenceslai Biblia Vol. I. P. 1. col. 93.* relata ornavit, ita, ut nequidem *Ispidam* illam desideres, quae hic *fol. 127. p. 2.* infidet.

DCCCLVI.

R. 3312 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 325. f. per duas columnas caractere crasso, atro perscriptus, coloribus distinctus, et non uno loco literis initiorum et lemniscis marginum deauratis et picturatis ornatus est *Missale Romanum*. Sub finem inter Orationes diversas habetur *Oratio pro desiderantibus penitentiam* praefixa hac rubrica: *Si quis penitentiam petens priusquam sacerdos uenerit officio linguae fuerit priuatus, statutum est ut si ydonea testimonia hoc dixerint et per motus aliquos satisfaciat, sacerdos impleat omnia circa penitentem ut mos est. Fol. 298. p. 2.* haec legitur Clausula: *Anno ab incarnatione domini millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo reuerendus in christo pater ac dominus dominus Benedictus abbas huius monasterij Lunelacensis hunc librum compleri fecit ac finiri per fratrem Jacobum kesser de wratislauia professum eiusdem monasterij. Finitus autem fuit in die sancti Othmari confessoris atque abbatis. Benedictus hic abbas teste Chronico p. 276. usque ad an. 1499. sedit et profuit. Dubium non est, primos Librorum*

Impressores ab eiusmodi Codicum Clausulis suas quoque mutuatos fuisse. Accedunt in praesenti *Sequentie per circulum anni, et Commune Sanctorum.*

DCCCLVII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3310 XV. Folior. nunc 244. f. eodem modo perscriptus, miniatus, et literis initiorum picturatis ornatus pariter *Missale* est, primis tamen et ultimis membranis multatum. *Fol. 124.* sub finem Missarum de Tempore notatur annus 1498. Ante Canonem uisitur elegans Icon *Christi* cruci adfixi, et dextro latere confossi adstante *Maria* et *Johanne*. In fine accedunt *Profae*, sed magnam partem evulsa sunt. Thecae anteriori intus adglutinatum est Folium Sec. ut videtur, etiamdum XV. gothicis typis excusum hoc titulo: *Sanctus Leuinus martyr et Pontifex contra Paralytim et podagram a fidelibus colitur sequenti die post Martini.* Tum de eo *Oratio, Secretum et Complenda.*

DCCCLVIII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3311 XV. Folior. 248. f. maj. eodem modo perscriptus et ornatus rursus *Missale* est, praevio *Calendario*, in quo ad 4. *Maji* miniatus *Florianus*, et ad 25. *Jul.* notatur *Anniverfarium*, quod an. 1488. sibi in Ecclesia *Lunelacensi* fat liberaliter instituit *Martinus Schrugkenmayer* sacerdos secularis